



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Stella Mystica

Bonald, François

Coloniae, 1607

Beatissimam V. Mariam esse matrem spiritualem omnium Christianorum
qui se dignos eius filios constituunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10014

MONSTRA TE ESSE MA-
trem.

*Beatiss. Virginem Mariam esse Ma-
trem spiritualem omnium Christi-
anorum, qui se dignos eius filios
constituunt.*

CONSIDERATIO.



N superioribus, anima fi-
delis, intellexisti B. Vir-
ginem M A R I A M esse
Dei matrem: & quantam
proinde fiduciam collocatam ha-
bere possis in ipsius ope atque mi-
nisterio. Nunc considerandum tibi
est illam esse omnium Christiano-
rum matrem spiritualem, illorum
specialius, qui se totos illi conse-
crant, & deuouent. S. Paulus A-
postolus se omnium illorum
quos per suam prædicationem ad
veram fidem adduxerat, Patrem
nominare non erubescit. *In Christo
Iesu, inquit, per Euangelium ego vos
genui.* Quod si Apostolus Paulus
iusto iure se Patrem omnium esse
quibus nouam salutem annuncias-
set

*B. virgo
Maria om-
nium Chri-
stianorum
mater.
1 Cor. 4.*

ter, aiebat: cur nos B. Virginem Ma-
 tré illorum omniū quibus ipsa ge-
 nuit & impetrauit Saluatorem, ea-
 dem cum congruitate ac decentia,
 non appellabimus? B. Virgo (vti S.
 Bernardus affirmat) assiduis votis *S. Bernard.*
 ac precibus à Deo postulabat, vt *serm. 4. in*
 Saluatorem mundi de cœlis mitte- *assumpt.*
 ret. Quod verò petitionis suæ com-
 pos effecta fuerit, Angelus demon-
 strauit, quando inquit: *Ne timeas*
 MARIA, inuenisti enim gratiam a-
 pud Deum. Quam gratiam? inquit S.
 Bernardus. Illam nimirum quam *S. Bernard.*
 petierat, Dei & hominum pacem, *hom. 3. sup.*
 mortis destructionem, vitæ repara- *Missus.*
 tionem, ac totius humani generis
 redemptionem. Esaias Propheta *Esa. 11.*
 prædixerat Virgam egressuram esse
 de radice Iesse, & florem de radice
 eius ascensurum esse. Virga hæc, vti
 S. Hieronymus interpretatur, est B. *Hieron. ep.*
 Virgo, flos est I E S V S filius eius. *22. ad Enst.*
 Qui de seipso in Canticis ait: *Ego*
Flos campi & lilium conuallium. Ex
 quibus facillè perspici potest B. Vir-
 gini MARIAE iustissimo iure
 G hunc

hunc titulum deberi, vt vocetur Christianorum Mater: quandoquidem illis salutem procurauit, & Saluatorem peperit.

Tertull. de Hoc antiqui Patres vnanimi cō-
pres. heret. sensu testantur. Quorum testimo-
Epiphan. nijs si non contentus ampliorem ē
bar. 78. sacris literis probationem requiris,

Ios. 19.

redige tibi in memoriam, quę Christo Redemptore nostro patiente, ac cruci affixo, inter ipsum & B. Virginem, & S. Ioannem Euangelistam acta sunt. Sic enim scriptum est. Christo in cruce pendente, cum vidisset iuxta crucem Matrem & discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suę: *Ecce filius tuus.* Deinde dicit discipulo: *Ecce Mater tua.* Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam. Discipulus hic mysticę omnes Christi fideles repręsentabat, atque idcirco existimare potes Iesum Christum omnes illos Matri suę pro filijs assignasse. Fecit hoc Saluator eo

Hebr. 5. &
9.

Ephes. 5.

tempore cum se Patri in holocaustum, atque expiationem pro mundi delictis offerret, cum charitatis

flama-

flammis, pro animarum sponfarum
 suarum salute consumeretur: quan-
 to itaque censes cum amore com-
 mendauit illos matri suæ? & qua pu-
 tas cum affectione mater eius sus-
 cepit illos in curam & protectionē
 suam? Et hinc aduerte quam iustē
 ab ea postulare possis vt se matrem
 esse demonstret.

Cæterum caue ne illa occasio- *Vt se B. vir*
 nem habeat, quando ab illa flagitas *go matrem*
 vt se matrem ostendat, à te primum *ostendat, a-*
 postulandi vt te dignum filium ex- *pus est vt*
 hibeas. Sunt enim inter Christianos *quis se dig-*
 non pauci, qui B. Virginis opem im- *num ei filij*
 plorent, & congregationibus illi *exhibeat.*
 dedicatis nomina sua dent, vt eam
 sibi tanto magis piam & propitiam
 habeant: quod valde laudabile, &
 multis retro temporibus approba-
 tum & vsitatum fuit in Ecclesia Ca-
 tholica, sed si volunt fauore, auxi-
 lio, specialique prouidentia illius
 quam inuocant gaudere, reddant se
 primum dignos qui pro filijs habe- *quomodo id*
 antur. Si quærant quomodo id asse- *fieri possit.*
 qui possint: ego illos ad S. Ioannis *Ioan. 13.*

G • exem-

exemplum remittam. Hic erat di-
 scipulus quem I E S U S præ cæteris
 specialius diligebat, quemadmodum
 ipse testatur. Causa autem huius a-
S. Hieron. moris fuit, ut S. Hieronymus ait,
lib. 1. contra charitas ipsius, & puritas corporis
Ioni. & animæ. Quisquis igitur à B. Vir-
 gine pro filio haberi appetit, chari-
 tatem ac pudicitiam diligat, B. Vir-
 ginem Mariam colat, veneretur ac
 toto corde atque affectione illi ser-
 uiat. Quod si aliquando huius sui-
Quid eis fa- *ciendum qui* debiti, vel propositi oblitus, alijs se
contra fece vitijs constringendum dederit, non
vint. tamen omnino spem abijciat, quasi
 ultra in filium ab ea suscipi neque-
 at, dummodo vitam mutare, atque
 ad meliorem frugem redire velit.
 B. Virgo namque ita se geret erga
 illum, quemadmodum erga filium
 prodigum, occurret illi, amplexa-
 bitur eum, & de ipsius reuersione ve-
 hementer gaudebit. Qui autem in sce-
 leribus suis perstiterint, ita illos ex-
 cipiet, sicuti Christus Hierosoly-
 mitanos, & dicet illis: *ô filij mei,*
mate. 23. *quoties volui vos congregare, quem-*
admo-

que illos
pœna mane
at qui in
peccatis per-
seuerunt.
mate. 23.

admodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluitis. Quasi diceret: Ego circa vos matris officio defuncta sum & nihil eorum quæ ad vestram salutem pertinerent omisi: vos autem à natura filiorum degenerastis. Hæc comminationes non mediocriter formidandæ sunt: nam verè dici potest eum qui non haberit B. Virginem Mariam matrem, non habiturum esse Deum patrem. Submitte igitur te ductui eius & sanctæ directioni. Et si alio adhuc titulo filius eius esse desideras, cruci filij eius, cum illa continuo affis-
 ste: uti faciebat S. Ioannes: assiduò
 aut certè frequenter passionem & mortem Domini & Salvatoris tui Iesu Christi tecum expende. Hoc si feceris, te pro filio matri suæ commendabit, & sub hoc titulo ad eam in omnibus periculis & discrimini-
 bus confugere poteris, atque il-
 lam orare ut preces tuas fi-
 lio suo præsen-
 tet.

Sententia
 mirabilis.

Ioan. 19.